

suum, ut illum imitetur, qui sicut agnus ad victimam ductus sic non aperuit os suum, et cum possit habere quod deserat, magis vult silere, quam dicere. Is. LIII, 9.

Exempla Sanctorum animo objicere: nam ut hi (inquit S. Chrysostomus) qui laborant oculis, colorem aliquem suavem frequenter intendo, nonnullum morbi capiunt levamen; sic is, qui hominum mansuetorum imaginem præ oculis habet, si in ea assidue defigat oculos, etiamsi millies obtundat iram mentis oculum perturbans, perfectam sanitatem, puramque philosophiam ac tranquillitatem animi assequetur. S. CHRYS. HO. III, de David et Saul.

Idem medium suavitatis S. Augustinus sic loquens: tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ et tam delicatæ puellæ flammæ et ignes, et bestias æquanimitate perturbant et nos stultorum hominum convitia dicimus tolerare non posse, quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur? Si possumus, etiam usque ad mortem illorum, nostras injurias vindicamus; unde nescio qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus. S. AUG. ap. MANSI, DIS. II, n. 4.

Proprium vitiorum et defectuum et peccatorum copiam considerare: nam considerata infirmitas propria, mala nobis excusata aliena, teste S. Gregorio. Sed et S. Bernardus confirmat, dicens: ex consideratione iniquitatis propriæ, et ex dolore, qui ob culpam in Deum commissam concipitur, oritur non solum mansuetudo, cui draconis flatus non noceat, sed etiam magnanimitas, quam rugitus leonis non terreat. S. BERN., In Psalm. Qui habitas.

Quod medium etiam S. Thomas Villan. suavitatis, dicens: consideratio valde utilis est ad hoc, inquit, ut consideres, quia, licet emulus tuus injuste te persequatur, tamen tu juste pateris propter peccata tua. Quid hominem aspicias? attende divinam justitiam cujus est minister ille: non hunc læsisti, sed Deum maxime offendisti. Quis est, qui ad patibulum odii seclera sua juste condemnatus odio prosequatur licetores et carnificem, qui eum conducunt ad mortem? quot nos per tot peccata mortalia Deo intulimus injurias? igitur Deus per suam justitiam juste disponit, ut illas ei injurias per injurias a proximis nostris nobis factas libenterque tole-

ratas diluamus, his enim Deus utitur, veluti justissimis furoris sui ministris; cur igitur iram tuam in illos convertis? Attende divinam justitiam, respice demerita tua. Quoties enim tu aliis fecisti injurias? quoties contumeliatus es alios? Considerandum est insuper, Deum ita disposuisse, ut injurias patienter et pro ejus amore tolerando, immenso satisfaceres debito, quod per tot injurias Deo irrogatas apud eundem contraxisti. S. Bernard. proinde ait: dum pensamus, quales contra alios fuimus, esse contra nos tales alios minus dolemus, quia aliena justitia in nobis vendicat, quod in se nostra conscientia accusat; et sic indulgere, efficitur delectabile. Quin et cogitatio, quod Deus vilipendia et probra in nostram ordinavit utilitatem, in divinæ justitiæ suæ satisfactionem, in voluntatis suæ adimpletionem, motiva nobis potentissima suggerit, ut opprobria non modo non sentiamus, sed et insuper avide illa optemus iisque obviamus. Hinc D. Chrysostomus ad ictus hujusmodi perferendos ita nos animat. Quod si arduum sit negotium et operosum cogita, quod ob Deum talia pateris, et plenam percipies consolationem: animamque subterfugientem, reformidantem, erubescens, pudentem exaeque, etque continuo ista accine: quid cessas? quid subterfugis? quid detrectas? non de pecunia, non de illis rebus momentaneis, sed de nostra ipsorum salute agitur. Deus ista faciendi præcepit. Deus namque, qui hostium nostrorum perversitate, injuriisque ad nostram: utitur salutem, idem quoque ille nobis præcipit, ut injurias remittamus, earumque immemores bonum pro malo reddamus, adimplentes illud: maledicimus, et benedicimus. J. THOM. VILL., serm. in fer. 6 Cin.

Quæ omnia confirmans S. Gregorius, leve, inquit, est, quod injuria perciturum; dum in actione nostra conspicimus, quia pejus est, quod meremur, sicut fiet, ut contumeliis gratia magis, quam ira debeat, quarum interventu, Deo iudice, poena gravior declinari posse confiditur. S. GREG. I. XXX, Mor., c. IX.

Præcogitatione injuriarum mentem suam munire: qui enim improvidus ab adversitate apprehenditur, quasi ab hoste dormiens invenitur, eamque citius inimicus necat, quia non repugnante perforat; qui vero mala imminencia per sollicitudinem prænotat, hostiles incursus quas in insidiis vigilans ex-

pectat, et inde ad victoriam valentem accingitur, unde nesciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace penitentia munitus, et quidquid acciderit, providus superet; et quidquid accesserit, lucrum putet. S. GREG. lib. III, Moral., c. XXXI.

Causam iræ et impatientie tollere: nam sicut ignis non extinguitur, quamdiu materia incendi non tollitur; ita nec animus erit mitis et quietus, quamdiu cause iracundiæ in mente persistierint. CRONOMANTIUS, s. I, de Octo beat.

Injuriam factam joco eludere: ita enim jam olim majores nostri suaserunt, dicentes: cum ureris, aut tace, aut jocare. Idem Seneca suavitatis, dum dixit: alia differenda sunt, alia deridenda, alia donanda. Circumscibenda multis modis ira est. Pleraque in lusu jocumque vertenda sunt. DRÆX, in Rosis, c. II, III, IV.

Contemnere injurias: nam, ut bene advertit Seneca, contumelia a contemptu dicta est, quia nemo, nisi quem contempsit, tali injuria notat, nemo majorem melioremque contemnit, etiamsi facit aliquid, quod contemnentes solent. Nam et pueri os parentum feriunt, et crines matris turbavit, laceravitque infans, et spulo aspersit, aut nudavit in conspectu suorum legenda, et verbis obscenioribus non pepercit, et nihil horum contumeliam dicimus; quare? quia qui fecit, contemnere non potest. SEN., I. III, de Ira, c. XXIV.

Vindictam in alios hostes licite convertere: uti S. Thomas Villan. suavitatis dicens: ego tibi verus inimicus ostendam quos oderis, quos destruas, demones, peccata tua, et vitia; hæc sunt, quæ te perdunt, quæ te destruant, quæ tibi gehennam parant, contra hos inimicos ora, ut destruat Deus, et tu, quantum vales, destrue illos. Sed et caro ista, quam tu tantum diligis, et foves, in qua nutrienda vitam perdis, maximus inimicus tui est: hanc castiga, subijce, doma; quid fratrem et proximum tuum odis, et persequeris? O stulte, non est ille inimicus, sed proximus; non te persequitur homo, quem fecit Deus, sed malitia quam fecit homo. Illa est inimicus tuus, illam oderis, illam persequaris, illam destruito. Tolle malitiam a fratre, non te persequetur, non tibi malefaciet; fac ergo, ut destruas illam. S. THOM. VII. in s. VI Cin.

Silere, uti S. Chrysostomus hortatur, dicens: non vides in adibus, quando ex adverso, et directe steterit duæ januæ, sitque ventus vehemens, si alteram clauseris, nihil obest ventus, sed magna pars ejus iterum præscinditur, nunc quoque duæ sunt januæ, os tuum, et os ejus, qui te contumeliis afficit, et convitiis; si tuam clauseris, extinguis totum spiritum; sin autem aperueris, non potest cohiberi. De hac quoque similitudine prius his verbis dixerat: Os est ostium, claudet et obsera, ut et lucem præbeat, et externam repellat irruptionem, ut exempli causa, si te contumelia affecit, os claudet; nam si aperueris, ventum excitas et ventilas. S. CHRYS., hom. II, in I Thess.

Idem medium alius quidam vir sapiens suavitatis. Cum enim mulier quædam apud virum quemdam sapientem et discretum de marito suo conquireretur, quod quasi semper ebrius quotidie cum ipsa contenderet, injuriis illam onerando, quas illa reciprocis injuriis rependens, pacem domus turbabat; vir autem ille huic mulieri de remedio providere volens, ne deinceps major in domo ejus accenderetur ignis, nec ipsa ad reciproca impropria prorumperet, aquam e vicino fonte hantam illam sumere jussit, eamdemque marito domum redeunte, in toto tempore, quo vir ejus injurias evomebat, clauso ore retinere; quod consilium ipsa prompte exsecuta, virtutemque aquæ admirata fuit, utpote cui hanc attribuebat virtutem, quod iram ejus compescuisset, ne referret injurias, non se reflectens, quod easdem per taciturnitatem et silentium superasset: cui historia optime et apposite quadrat dictum illud sapientis: « Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum; » si enim mulier illa aquam expuisset ad reddenda impropria pro improprie, irconciliabiles excitasset contentiones, majorisque iræ et furoris ignem in ambobus accendisset. Unde D. Gregorius Magnus ait: aqua dimittitur, cum lingue fluxus effunditur. MANSI DIS. XXV, n. 6.

Astra cæli imitari: nam, ut Mansi recte advertit, homo virtuosus a luminaribus celestibus exemplum capere debet, et ad hoc formari, ut bonum pro malo reddat, neque a benefaciendo se criminantibus desistat. Quædam de luna mentiuntur homines, subdit S. Augustinus, quando eam vident obscurari; non curat tamen ista verba hominum quæ in cælo est, sed quid est in cælo, in fir-

mamento cœli. Cujus ergo cor in firmamento Dei est, ita non curat. Iœm, *dis.*, n. 6.

Injuriantem ut amicem intueri; uti idem Auctor suavit, dicens: observandum est nomen, quo Spiritus Sanctus illos appellavit, qui patientissimum Jobum falsis imposturis et calumniis onerant: dicit enim sacer Textus: « Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, Sophar Naamathites. » At vero cur calumniatores illi, amici appellantur, cum potius partes inimici sustinerint? Nimirum cum de viro virtuoso et patiente agitur, is talis neminem reputat inimicum, sed omnes indifferenter amicorum loco habet, et amat. Unde S. Gregorius ait: nec mirum, quod qui adversantium formam expriment, nominentur amici, cum ipsi quoque traditori dicatur: Amice, ad quid venisti? Sic exemplo suo docuit, de quo in vitis Patrum legitur, quem quanto plus aliquis injuriabatur, aut deridebat, tanto plus ille gaudebat, dicens: isti sunt, qui nobis occasione præbent ad profectum nostrum; qui autem beatificant nos, non conturbant animas nostras. *Vit. PP.* l. III, n. 8.

Utilitatem mansuetudinis pendere: quam S. Bernardus ad oculos posuit, dicens: Ego plagis conscientie meae, nullum judico accommodatum medicamentum, probris, et contumeliis: non est proinde, quod commoveat, homuncio sum omni opprobrio dignus et despectione. S. BERN. *Ep.* CCXX, *ad Eug.*

Ludentem, ut phreneticum considerare: nam quare fers ægri rabiem, inquit Seneca, et phrenetici verba? Puerorum protervas manus? Nempe quia videntur nescire, quid faciant. *SENECA*, l. II, *de Ira*, c. XX.

Cui assentiens S. Chrysostomus, cogita, inquit, quia non est in se, qui vituperat, sed insanit, et non moleste feres infamias illius. S. CHRYS. *ho. cx*, in *Matth.*

ASCETICA.

Tria præcipue de hac virtute ab Asceta bene discenda, alisque inculcanda sunt. Primum est, ut naturam atque perfectionem illius bene cognoscat. De natura itaque sciat, mansuetudinem non in eo consistere, ut nunquam quis irascatur, sed, ut quemadmodum SS. PP. advertunt, sciat, pro quibus,

et quibus, quando, et quo modo irascatur. « Neque enim ferire, inquit S. Chrys., absolute atrocitatis est, nec parere mansuetudinis, sed mitis ille est, qui ferre potest, quæ in seipsum peccata sunt: qui aliis factam injuriam propulsat. Qui autem illi non facit, est deses, et somnolentus, et nihilo melius mortuo affectus, non autem mansuetus. » S. CHRYS., in *Ps.* XXXI. Quare opera danda est, inquit Granatensis, ut illud nobis ante oculos Domini statuamus: Dulcis et rectus Dominus: sique mansuetudinem justitiam, et rectitudinem dulcedini jungamus, ut neque rectitudo sit aspera, neque dulcedo remissa.

Porro perfectionem hujus virtutis quod attinet, recte hanc S. Climacus explicasse videtur sequentibus verbis: « Initium beate tolerantie (ac mansuetudinis) est in amaritudine et dolore anime ignominias suscipere; medium vero eas sine moerore tolerare: finis autem et consummatio, summam illis laudem tribuere. Vidi ego, inquit ulterius idem Auctor, tres viros religiosos, et ex quibus unus mordebatur quidem injuriis, et perturbabatur, sed tamen in silentio premebat iracundiam. Alius vero gaudebat quidem ex luctu suo, sed ejus, qui se maledictis infectatus fuerat, peccato angebatur. Tertius vero proximi tantum damna secum volvens, vim ardentium lacrymarum profundeabat. Eratque suave spectaculum timoris, et mercedis, et charitatis operarios aspicere. » S. CLIMAS. *cap. VIII, de Mansuet.*

Alterum est, ut sciat, aptum et efficax medium, ad prædictam perfectionem hujus virtutis obtinendam, quale quidem sapienter S. Chrysostomus assignavit, dum dixit: « Hoc pacto Christi erimus discipuli, si mansueti fuerimus, et mitis ingenii. Unde autem tales flemus? Si nostra frequenter peccata reputabimus, si lugebimus, si flebimus. Neque enim anima tanti doloris particeps irritari atque irasci patitur. Ubi fletus, ira esse non potest; ubi dolor et contritio, longe abest omnis irritatio. Mens enim dolore percussa non studet elationi, sed amare ingemiscit. » *HOM.* XXXIX, in *Joan.*

Tertium est, ut, cum potissima mansuetudinis exercenda occasio in regendis et corrigendis aliis reperitur, ante omnia sciat Asceta, quomodo sua vita cum gubernatione aut correptione aliorum conjungi debeat. Quia quidem in re pro primo principio ponenda est illa S. Laurentii Justiniani sen-

tentia: « Frater, mandante Domino, corripitur blande ac dulciter; nam mollibus potius, quam duris sermonibus compungitur animus delinquentis. » Deinde vero bene cognoscere studeat, in quo asperitas gubernationis aut correctionis consistat; ubi præ reliquis faciem præfert P. Claudius Aquaviva Societatis Jesu Generalis, dum sic loquitur: Asper est et gravis superior, cum nimium credulus primis quibusque delationibus tenaciter adhaeret, nec ab eis se abduci patitur. Asper est, cum quasi omnes transgressiones æquales sint, easdem minoribus, quas majoribus penas decernit. Asper est, cum iis quæ sola munitione corrigi possunt, acriora adhibet medicamenta. Asper est etiam, cum loci et temporis momenta, et opportunitatem expectare nescit: cum errata quæ secreta correctione emendanda fuerant ita palam facit, ut subditum confundat: cum in corrigendo iracundia magis agi, quam zelo et charitate duci se ostendit, verbis æquales in compositi, ac perturbati animi signa exhibens: quæ non modo nihil conferunt ad consequendum, quod sibi proposuit, sed etiam maxime nocent. Nam cum duo sint, quæ in subditorum animis, cum castigantur, plurimum valere solent, alterum reverentiam, qua erga superiorem afficiuntur, ex opinione de illius virtute ac probitate concepta; hæc sane opinio debilitetur necesse est, cum illum vident hominem esse similem aliis, non minus, quam alios, ad passionem impetus expositum; alterum persuasionem, qua se diligi credit; hæc certe minui necesse est cum quis viderit, superiorem neque paterne, neque amanter secum agere. Asper denique est, cum omnino non ostendit ex charitate se moveri, et desiderio perfectionis filiorum, cum reprehensionis austeritatem non temperat dulcedine spei, quam de illorum emendatione atque profecto præ se ferat. Hactenus Claudius, quibus addi possunt alia quæpiam indicia, quæ in industriarum libello consignavit; nempe: Si res ipsa, quæ injungitur, gravis sit, et importabilis saltem respectu virium illius, cui injungitur. Si verbis asperioribus, modoque despotico injungitur. Si urgeatur executio eo tempore, quo subditus non est probe dispositus, nec detur tempus et auxilia, ut se disponat; si tam gravia, quam levia eodem ardore exigantur; si omnes subditi rationes et excusationes, primo statim aspectu tantum tentationes, eo benigne non audito,

rejeciantur; si se suspiciosum ostendat superior, et ita affectum erga aliquem, ut putet subditum, nulla in re se illi posse satisfacere; si malam de subdito opinionem præ se ferat, et omnia in deteriorem partem interpretetur; si in rebus injungendis non tanquam rationalem et volempem filium, sed tanquam inanime instrumentum movere videatur: si ira loquatur aut jubeat aliquid ut æquivoce et obscure dicat quid velit, quasi studio nolit intelligi, quo semper liberum ei sit, subditum arguere: si neget fere, quæ petuntur; est enim habenda ratio rei, quæ petitur; ejus, qui petit: adificationis externorum et nostrorum: denique ejus, qui petit, utilitatis. Denique hæc etiam pertinent doctrina a S. Isidoro Pelusiota tradita, dum ait: « Quemadmodum peritii medici in morborum initis remedia haud temere adhibent, verum aliquantisper expectant, dum morbus de acrimonia non nihil remittat, ac tum demum ad medendum se conferunt; eodem modo nec vigente moerore, eum, qui præ ipsis magnitudine velut temulentia quadam laborat, objurgare convenit (nam alioqui sermonem non secus ac collyrium, inutilem imprudentes reddemus) verum postea, quam ad tempus moeroris socios nos præberimus atque hujusmodi affectum nonnihil sedari sciverimus, ita demum ad curationem proficisci. » S. ISIDOR., l. III, *ep.* CCLXXIX.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione sententiæ: « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: » ostendit potest: 4. Quam præclarus magister Christus fuerit hæc in arte, afferendo potiores quosdam mansuetudinis actus ab illo exercitos; quem in finem legi potest Franciscus Aarias de Imit. Christi tom. II, tr. 3, cap. II, III, IV, X, XII. Quale præmium sperare possimus, si hæc virtutem perfecte addicamus, nimirum duplicem requiem, temporalem in vera animi pace et quiete consistentem, et æternam, quæ tanto utique major erit, quanto major difficultas in exercitio hujus virtutis per subjugationem iræ superanda est. *MART.*, II, 29.

Ex occasione sententiæ: « Beati mites, quoniam possidebunt terram, » declarari potest præmium mansuetudinis secundum quadruplicem acceptionem terræ. Et 1. qui-

dem ostendi, quomodo possideant terram hanc materialem, ut S. Chrysostomus hunc locum interpretatur, quatenus scilicet plerumque bona sua stabilius et majori tranquillitate possident, quam immites, qui multoties animam suam et hæreditatem paternam contentionibus amittunt; et quatenus homini mansueti totus mundus patria est, totque locis habet fundum, quot locis reperit amantes Evangelicæ mansuetudinis. 2. Ostendi potest, quomodo terram « corporis » sui, quod SS. Bernardus et Hieronymus nomine terræ intelligunt, possideat, dum nempe anima hominis mansueti super carnis motus regnat, et membris omnibus per mansuetudinem imperat, ut adeo, teste S. Hieronymo, prima eorum hæreditas sit, in carne non carnaliter vivere. 3. Ostendi potest quomodo terram « animæ » suæ possideat (quo sensu videtur terram Christum in citato themate accepisse) quatenus scilicet pacem et perfectam cum aliis concordiam acquirit. 4. Ostendi potest, quomodo terram cœlestem (ut alii interpretantur) possideat mansuetus, quatenus scilicet per tam insignem sui suarumque passionum victoriam, ac tolerantiam injuriarum, singulare apud Deum in altera vita præmium promeretur. De quibus omnibus videri possunt interpretes in hunc locum, maxime Cornelius a Lapide.

Ex occasione sententiæ S. Pauli : « Obsecro vos ego vincetus in Domino, ut ambuletis digne vocatione vestra, cum omni humilitate et mansuetudine : » ostendi potest, quantopere deceat mansuetudo christianum quemvis. 1. Quatenus « homo » est, atque adeo animal sociabile, ad quam societatem conservandam specialiter necessaria est mansuetudo. 2. Quatenus « christianus » est, atque adeo debet conformari moribus Christi, iis præcipue, in quibus ipse se in magistrum et exemplum proposuit, quales sunt Humilitas et Mansuetudo. 3. Quatenus « catholicus » est, seu verum Ecclesiæ membrum; ut sic enim sicut habet certiore spem æternæ beatitudinis ob vocationem suam ad veram fidem, ita studere quoque debet, ut quemadmodum S. Paulus in textu cit. hortatur, digne ambulet vocatione sua cum omni humilitate et mansuetudine, ne a loqui si iratum se, et immansuetum verbis aut factis ostendat, audire cogatur illud a Tobia Seniore olim dictum : nolite ita loqui (et agere) quoniam filii Sanctorum sumus, et

vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam (per impatientiam et immansuetudinem) nunquam mutant ab eo. Quæ omnia fusius rationibus et exemplis confirmari possunt. *Top. II, v. 17.*

Ex occasione ejusdem aut alterius similis thematis, afferri possunt triplicis generis exempla, ad persuadendam mansuetudinem dicique : 1. Recte SS. Patres sensisse, nullam esse virtutem, quæ homini adeo connaturalis sit, ac mansuetudo; merito proinde sicut Christus ad eam a se descendam specialiter invitavit, ita concionatores quoque ad eadem exercendam frequenter excitare : cum autem longum iter sit per verba, breve et efficax per exempla, se hoc medio potissimum usurum, atque adeo triplicium explorum propositione, velut triplici funiculo, auditores in amorem hujus virtutis pertracturum. 2. Itaque incipiat exempla proponere, nimirum primo exemplum Christi, tam secundum Deitatem, quam humanitatem. Deum exempla hominum, tam sanctorum, quam profanorum. Deinceps exempla brutorum, qualia passim citantur ab auctoribus, maxime a P. Drexelio in *Rosis p. I, c. II, § 2. Concludatur concio ardenti Epilogo, et cum affectu illud S. Augustini repetatur : potuerunt isti et istæ, et tu non poteris?*

Ex occasione sententiæ : « Fili in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris : » ostendi potest, quod mansuetudo omnibus quidem statibus conveniat sed tribus præcipue : 1. « Clericis et religiosis, » utpote quorum potissimum officium est, Deum laudare et orare, atque adeo mansuetudo vel maxime ab illis requiritur, ut puras, et a nullo sanguine commaculatas manus ad Deum erigant : nam mansuetorum ipsi semper placuit deprecatio. 2. « Superioribus in patribus familiis, » quorum officium est regere et corrigere alios ut suavitatem cum severitate, rigorem cum mansuetudine misceant, temperentque eo fere modo, quo in § priore ostensum est. 3. « Habitantibus in eadem domo vel civitate, » quia nisi hi unanimes et mansueti sint, nunquam pacifice et feliciter convivent : id quod olim Abbas Anub fratris suis simul cohabitantibus ostendit, dum aliquot diebus idolum saxeam mane lapidavit, noctu vero iterum veniam rogavit, causamque facti rogatus, respondit, nisi, ut statua

ista, ad injurias et offensiones immobiles, atque ad veniam concedendam facilis, aut ab omni appetitu vindictæ alieni simus, nunquam pacifice cohabitare poterimus.

Ex occasione thematis : « Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : » dici potest varias esse explicationes, quid per hoc oleum intelligatur; optimam videri quæ dicit, mansuetudinem per id significari, de qua ipse David dixit : Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. Ostendatur proin, quam recte mansuetudo oleo comparetur. 1. Quia sicut oleum conditibus, ita mansuetudo actiones hominis gratas facit : hinc Salomon dixit : Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. 2. Quia sicut oleo unguuntur Athletæ, et roborantur contra adversarios; ita mansuetudo reddit invictos contra hostes, quemadmodum David exemplo suo ostendit. 3. Quia sicut oleum mire conducit ad alliganda et curanda vulnera : ita mansuetudine nihil est aptius ad peccatorum correctionem, ubi tum Samaritanus Christum præfigurans, tum ipse Christus, tum vero etiam David facti ipso abunde comprobantur. Excitentur ergo auditores, et ipsi cor suum velut lenticulam oleo hoc tam pretioso impleant, et ad similes effectus utantur.

Ex occasione sententiæ : « Ascendam ad palmam, et apprehendam fructus ejus : » potest mansuetudo palmæ huic comparari, utpote quæ ut palma per injurias se flecti et supprimi non patitur, sed semper generose vincit. Deinde possunt multiplices ejus fructus explicari, sed tres præcipue : 1. Fructus « honoris, » quem conciliat mansuetudo, innuitque Siracides illis verbis : Et super hominum gloriam diligeris. 2. Fructus « benedictionis » tam in temporalibus, quam æternis bonis, quem Christus illis verbis : Beati mites quoniam possidebunt terram : indicavit. 3. Fructus « lætitiæ, » quæ ob pacem et concordiam cum omnibus servatam percipitur, quem iterum Christus illis verbis : Et invenietis requiem animabus vestris, significavit; ut S. David, dum dixit : « Mansueti hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis. »

Possunt auditores ad scholam Christi invitari, et ostendi, quas regulas debeant ad discere et observare, ut scientiam ab ipso docendam, scilicet mansuetudinem acquirant, nimirum sequentes. 1. « Obmutui, et

non aperui os meum, cum visum esiter peccator adversum me. » Id quod ipse Christus exemplo suo docuit, dum consistens coram Pilato, accusantibus eum Judæis, tacuit. 2. « Non est servus major Domino suo : si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. » 3. Stude patiens esse in tolerando aliorum defectu, quia et tu multa habes, quæ oportet ab aliis tolerari. » 4. « Nemo læditur, nisi a seipso, et ab apprehensione sua; » nam, ut sapienter advertit Epictetus : Homines perturbantur non rebus, sed iis, quas de rebus habent opinionibus. Neque enim mors v. g. malum est, aliqui enim et Socrati ita visum esse, sed opinio de morte, quæ malam eam facit. Cum igitur impedimur, aut distrahimur, non alios culpemus, sed nos ipsos, hoc est opinioniones nostras. Quæ omnia fusius supra explicata videri possunt.

ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

QUALITAS. — Inter alia veræ perfectionis documenta quæ Arnolphus Abbas Monachus suis tradidit, hoc fuit : Nos qui septem fratres sumus, si vultis ut maneamus simul, efficiamur sicut statua hæc, quæ contumelias affecta non turbabitur. *In vit. PP. I, V, c. xv, n. 41.*

Silex quantumcumque durus, si fornaci imponatur, in calcem albam et candidam transmutatur, quæ quanto magis madefit, tanto magis bullit, et ignescit, quantoque magis extinguitur, tanto amplius accenditur. Unde S. Augustinus inquit : Jam vero quam mirum est quod cum extinguitur, tunc accenditur. Ecce vobis expressum hominis vero charitate præditi symbolum, qui, quanto magis impropriis et injuriis percutitur, tanto magis in amore erga Deum, et dilectione accenditur versus proximos. *S. Aug. I, XXII, de Civ., c. iv.*

Pro emblemate aliquando massa bituminis accensa depicta fuit, super quam dum arderet, deplebat aqua; eique inscripto adjuncta fuit hujusmodi : Etiam in flammis; hanc enim proprietatem terra conservat bituminosa, ut per aquam magis magisque accendatur. Ita quoque in præsentem de anima sancta injuriarum patiente veraciter dici potest : Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Non enim talis vel minimam amoris

divini aut charitatis amittit scintillam, quantumcumque ingens injuriarum, et contumeliarum inundet torrens; quin immo eo magis magisque in intensis amoris actibus exardescere incipit, dicente Psalmista: « Dum superbit impius, incenditur pauper. » Ubi Hugo Card. inquit: Incenditur amore Dei. Quis autem est pauper iste? idem respondet inquis: « Pauper spiritu, qui est humilis, » is, si quando impiorum, superbiorum, malorumque injuriis se gravari advertit, non modo non rejicit, retunditque opprobria, sed potius iis utitur, ut medianibus illis magis accendatur in amore divino.

Dicitur quidem apud Matthæum (c. v. 43): « Diliges proximum tuum, » et odio habebis inimicum tuum, » sed qui sano intellectu Scripturæ divinæ sensum agnoscere cupit, sententiam istam hoc modo intelligat ut diligat omnem hominem proximum suum, odio habeat diabolum inimicum suum. Quod etiam in uno homine malo implere potest. In ipso enim uno, qui malus est, et proximum habes, et inimicum; nam quod homo est, proximus tuus est; quod malus est, non solum tuus, sed etiam suus inimicus est; dilige ergo in eo carnem et animam, hoc est proximum tuum, quem fecit Deus, et odio habe malitiam, quam, ipso consentiente, diabolus intromisit, et pio animo feceris, vices cælestis medici agris, odio habens morbum, et diligens ægrotum.

Pater quidam filium suum a serpente quodam cinctum videns, arcu apprehenso sagittam adeo sagaciter in serpentem vibravit, ut illæso filio serpentem transfixerit; idem quoque facere debet quælibet anima justa, quando injuste oneratur injuriis, nimirum, concipere debet odium adversus culpam offendentis, utpote qui eodem tempore Deum offendit, displicere illi debet invidia, malignitas, iracundia, quæ in injuratore prædominatur: ex alia vero parte illum tanquam proximum diligere, eique tanquam fratri benefacere debet, quod si etiam fortasse arcus te læserit, noli irasci contra illum, nec illum minutum confringas, culpa enim fuit brachii, quod illum tetendit, et evibravit. Eodem modo non est sumenda vindicta de proximo, qui te injuria affecit, quemque ex Dei præcepto amare debes, tanquam fratrem, sed odium tuum dirigendum est adversus malas illius qualitates, adversus perversam inimici tui inclinatio-

nem, rogando Deum, ut hanc ab illo extirpet, et eradicet. Sic David cum in sui defensionem Sauli necem inferre posset, utpote qui vitæ ipsius tot modis insidiatus fuerat, totque improperiis aggravaverat, solam tamen illi hastam sustulit. MANSI, d. XXIII, n. 7.

Etenim in ira, qui valde contumeliatum alium est, superasse videtur, cum revera ipse maxime a turpi hac perturbatione victus, non parum sibi ipsi nocuerit; qui autem magno animo tulit injuriam, hic profecto, et quidem cum laude superavit; ille namque ne suam quidem ægritudinem compressit, hic etiam alienam extinxit, et ille suo morbo superatus est, hic etiam alienum curavit, nec solum ipse inflammatus non est, verum etiam ingentem alterius flammam extinxit. S. CHRYS., ap. MANSI, d. XIII, n. 5.

Agapetus Diaconus in monitis aureis, quæ scripsit Imperatori, dixit: Venerandum jure est vestrum imperium, quia hostibus quidem suæ demonstrat pietatis aculeos: quam bene dixit Diaconus: Hostibus suæ demonstrat aculeos pietatis; non dixit, demonstrasse aculeos iræ, odii, vindictæ, simultatis, sed liberalitatis, mansuetudinis, humanitatis. Nam ut inimicum configas, et lancines, id solertia commodiore, et astu nobiliore fieri non potest, quam si beneficiis eum ornes, et cumules. Hæc est Christiana, et honorificentissima vindicta, qua ulcisci possumus eum, qui nos persequitur, et horret. TOB. II. *Bibl. PP.*, l. VII, n. 10.

UTILITAS. — Agathon abbas dicere solebat: Si habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea, quæ si injuriatur, non irascitur. *Vit. PP.*, l. VII, cap. XLII, n. 2.

S. Bernardus in quadam sermone suorum de modo bene vivendi, modum nos docet vitam agendi tranquillam et imperterritabilem, tametsi foris maledictis et contumeliis impetamur; dicit enim: Quamvis te quisquam irretit, quamvis convitium dicat, quamvis injuriam faciat, quamvis afficiat contumeliis, tu sile, tu tace, tu dissimula, tu contemne, ut non loquaris, tu tene silentium, ad injuriam non respondeas, convitium non retorqueas. Sed dicetis forsitan hoc ipsum signum esse hominis ignavi; ast contra est, quia ut idem mox subdit: tacendo citius vinces. S. BERN. s. XLII, de *Mod. ben. vivo.*

S. Paulus ad Romanos scribens, sic loqui-

tur: « Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus. » ROM. XII, 19. Si de hac lege carnem et sanguinem consulas, terribile, durum, intolerabile jugum videtur. Nam injuriam passum privare jucunditate vindictæ est adimere illi voluptatem omnium maximam, quam habere potest: et hominem in eas angustias cogere, ut legem, quæ ulcisci hostes prohibet, non prætereat, videtur perinde esse, ac pernoctam, ne dicam intolerabilem ei sarcinam imponere. Respondet Paulus huic objectioni: Placet, quod dieis. Et quoniam ais, non posse te facere, quin vindictam sumas, annuo, ut sumas. Itaque si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. *DD. NESS. Pol.* II, l. II, c. VIII.

Abbas Joannes portam celi, injuriarum tolerantiam esse, astruebat inquis: Porta celi est injuriarum permissio, et patres nostri per multas injurias in eam gratulantes ingressi sunt. Cujus veritatis tanta est infallibilitas, ut unus illorum Patrum, dum magna cum sollicitudine a superiore suo exercitium, per quod de æterna salute sua asserebantur, postularet, dicens: Da mihi unam rem, quam custodiam, et per eam salver; hoc a superiore suo, viro maxime illuminato, inque materiis spiritualibus exercitatio accepit responsum: Si poteris injuriari et affici convitiis, et portare, et tacere: magna est hæc res, et super alia mandata; hancque Evangelicam a nobis in principio adductam; sæpe reiterabat veritatem: « Beati estis cum maledixerint vobis homines, et dixerint omne malum: gaude et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. » *Vit. PP.*, l. VII, c. IV, n. 121.

Agriculturæ experientiam habentes juxta rosas allium plantare solent, ut acutior et pungens hujus odor eas exstimulet ad majorem transmittendam odoriferam fragrantiam: quo in facto obligatio exprimitur uniuscujusque animæ virtuosæ, et ad perfectionem tendentis, scilicet ut ab homine aspero et injuriante occasionem accipiant exercendæ virtutis, se mortificando, non resistendo; quin potius bonum pro malo reddendo: quia, ut bene Lact. Firm. docet: Nisi contumeliis fuerit affectus (homo justus) quantum habeat fortitudinis in

se ipso cohibendo, ignorabitur. Neque minus efficaciter S. Bern. ad ejusdem virtutis exercitium nos inducere conatur, quando de injuriarum oblivione, et harum superioritate tractans, sequentia notatu dignissima pronuntiat verba: Est actus magni et generosi cordis, injuriæ oblivisci. MANSI, d. V, n. 2.

Jacob ab Esau fratre suo tanquam impostor injuria affectus, et ad mortem usque odio habitus, et persecutionem passus, furori illius cedens, et in regionem longinquam et peregrinam fugiens, celum supra se apertum aspexit; unde ait: « Vere non est hic alius nisi domus Dei, et porta celi. » Considerat idipsum D. Chrysostomus, quando in quadam homilia hæc in verba scribit: Hic discimus, quod quando injuria nobis fit, nosque mansueti et mites, et tolerantis fuerimus, majori et largiori divino auxilio fruemur. Deus olim Laban iratus apparuit, eique præcepit: « Cave ne quidquam aspere loqueris contra Jacob. » Eodem quoque Jacob et paradiso exercitium obviam misit Angelorum, dicens scriptura: « Fuerunt ei obviam Angeli Dei, et ait: Castra Dei sunt hæc; » hunc autem favorem Jacob nullo alio merito a Deo comparavit, quam quia sollicitus erat, ne factas sibi injurias vindicaret, dissimularet contumelias, suosque sibi reconciliaret amicos. *Ibid.*

DIGNITAS. — Isaias Propheta cum ardentem mundi Salvatorem suspiraret, his æternum Patrem inclamabat: « Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ. » *Is. XVI, 1.* Uregas, auctor modernus, et gravis, in his verbis consideravit, quod non satis apte locutus videatur propheta, cum Patrem rogavit, ut Filium suum, tanquam agnum huc submitteret ad occupandum orbis imperium, sive, ut ille ait, dominatorem terræ, commodior enim fuisset habitus, gestusque ferocis leonis ad invadendum imperium orbis, quod vates cupiebat. Respondet tamen, cum magno mysterio rogasse prophetam, ut agnus mansuetus mitteretur, non sævus leo, qui futurus erat dominator terræ; nam ut animos hominum occupes, ut voluntates eorum invadas, tibi que obstringas, nullus talis magnes, qualis facilitas morum, suavitas verborum, consuetudinis lenitas. *DD. NESS. V, in Dom. Pal.*

Transiit arca Testamenti Jordanem, qui vix arcam sensit, quando cursum aquarum suarum sistit, et suspendit: « Mare vidit

et fugit, Jordanis conversus est retrorsum.» Ps. cxii, 3.

Quærit S. Cyrillus Hierosolimitanus, quare arcam fugerit Jordanis, qui non solum non fugit, sed et gaudenter admisit Christum, quando is illius aquis a S. Joanne fuit baptizatus. Respondit *CATECH.* 12. Ante carnis assumptionem mare vidit, et fugit; Jordanis conversus est retrorsum; assumpsit corpus Dominus, ut mare videns sisteret, et Jordanis sine timore illum susceperet. Ante incarnationem plurimam Deus passim præferbat majestatem, graviæque in homines decernebat suavia: sed postquam hominem induit, suaviaque humanitate erga omnes uti cepit, calcari se mare patienter ferebat, nec fugiebat Jordanis, cum ad illum homo Deus venit: mansuetudo enim fecit, ut mare illum non pertimesceret, et Jordanis nihil metuens exciperet; mitis enim ubique sibi locum parat: et qui facilis est moribus, facile admittitur ab omnibus.

S. Bernardus super illa Christi verba: «Beati miles, quoniam ipsi possidebunt terram» quærit, de qua terra hic locutus fuerit Christus? Respondet, de illa hoc dixisse terra, quam habitamus: nemo enim sibi parare dominium, nemo subigere corda, nemo expugnare voluntates sic potest, uti mansuetus. S. BERN., serm. xxxviii, in *Cantic.*

Hanc ob rem etiam Spiritus S. cum conciliandorum amicorum præcepta traderet, verborum suavitate ad hanc rem uti ante omnia suadet, dicens *ECL.* vi, 5: «Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos, et lingua eucharis in bono homine abundat.» *Nyss.*

Id vero tantam habet veritatem, ut prope affirmare possimus, majora miracula operari linguam suavem ac lenem, quam virga Moyses fecit. Plurimum celebratur illud prodigium, quo Moyses virga sua e duro saxo elicit aquam, ad depellendam sitim populi. Relinquamus id hoc in loco, et eamus visum, quid regi David cum Saule evenisset. Persequebatur Saul Davidem crudeliter, et magno cum furore, tanquam si multa et ingentia mala ab eo accepisset, necemque illi machinabatur. Convenerunt ambo in quodam antro, ubi cum David illum trucidare potuisset, noluit, oram elamydis præsecuisse satis arbitratus. Prodit antro Saul, secutusque illum David magnis vocibus appellavit, ad quas cum ille caput

obvertisset, submisso ad reverentiam vertice humiliter David aperuit, quam injuste tantam ab eo persecutionem sustineret, quem etiam interimere, cum facile potuisset, noluerit. Denique conclusit, dicens: «Quem persequeris Rex Israel? quem persequeris? Carnem mortuum persequeris, et pulicem unum.» *I Reg.* xxiv, 13. «Audiens hæc Saul, levavit vocem suam, et flevit.»

Alius quidam Rex prudens, qui subditorum animos sibi demereri volebat, Psalterium præferbat, cum hæc inscriptione: non scepro, sed plectro. Dicere voluit, eum, qui occupare corda vellet, non debere uti virga, non asperitate, non supercilio, aut arrogante imperio, sed lenitate, et suavium verborum dulci harmonia: hæc enim sunt, quibus se facile submitunt voluntates. *Ibid.*

Propheta Regius dicebat, verba sua faciles aures inventura, quod dulcia essent, et suavitate condita, dicens: «Audient verba mea, quoniam poterunt.» Ps. cxi, 7. Obscurus locus ex eo, quod dubium, quoniam respiciat illud, quod ait, «poterunt;» ad verbane spectet, an ad audient. Multi ad verba referunt, ut sit sensus: Audient verba mea, quoniam speciosa fuerunt. Alii: Quoniam dulcerunt. S. Joannes Chrystost. transtulit: Quoniam munita sunt satellitibus. Ubi magno cum mysterio mella dulcium verborum vocantur satellites; nec enim aliud est, quod tam facile capiat; nulli satellites, qui tam fortiter invadant, et constringant, quam blanda verborum lenium comitas. *Ibid.*

Quoniam Christo inerat a mira suavitate efficacitas, idcirco Judæi arbitrabantur convenire, ut ille de medio tolleretur, dicentes: «Ecce mundus totus post eum abit.» *Jo.* xii, 19. Mansuetudo illius omnia post se rapit; sive in desertis agat, sive ruri, sive in montibus, sive in civilitatibus, aut ubi demum versetur, homines attrahit, quos mel ab ipsius labiis distillans ita sibi ipsis admittit, ut immemores cibi ac potus, nullam etiam difficillimarum viarum rationem habeant. Tanta est potestas mansuetudinis, tanta efficacitas lenitatis. *Ibid.*

Vocabat sponsam sponsus, utque eam facile obsequentem haberet, his tam suavis verbis demulcebat: «Surge, propera, amica mea, jam enim hyems transit, imber abiit, et recessit.» *CANT.*, II, 10, 11. Quæri hic potest, quamobrem plantæ ita se contra-

hunt, et abdunt per hyemem, ut vix videri se sinant; verno autem tempore ita effunduntur, et dilatantur, ut revixisse putentur. Respondet Ericus (*Dom.* xiv, post *Pentecosten*): «Hyeme interius radicis virtute altius planta, et mox verni temporis provocata blanditiis, floris sui honore vestiuntur. Hyems aspera est, et tristis, et horrida, cuius atrocitatem dum plantæ fugiunt, ad suas se radices recipiunt, ac velut demortuæ languent, ac marcent, placido autem vere appetente foras erumpunt, verni temporis provocatæ blanditiis, quod eas sua benignitate in lucem, et vitam reducit, alit, exhilarat, sicut quæ inter hiberna frigora velut mortuæ lucebant, nunc per veris lenitatem se ipsas redivivas cum voluptate et spectent, et admirentur. Sic ergo sponsus, ut sponsam ad facile revertendum incitaret inquietabat: Jam hyems transit asperioris consuetudinis meæ, exui nuperam illam morositatem, posui supercilium, serenavi frontem, maxima est nunc, eritque deinceps conditionis meæ facilitas, appetitque ver percomis familiaritatis meæ, quod cum dixi, illud nullo jam negotio faciam, ut ad me non venias, sed volites.»

Rex et Propheta David dum caneret, quæ ratione Filius Dei factus homo totum orbem suavi dominio sibi subjugaturus esset, inquietabat: «Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent.» Ps. lxxi, 8 et 9. Mira animorum conversio! prodigiosa voluntatum immutatio! dulcis tyrannus cordium libertate nativa præditorum! quæ facit, ut inimici ejus terram lingant, ut, quos infensissimos habuit, ii ad pedes ejus accedant, absolutum ejus dominum agnoscant, terramque millies, idque devotissime, exosculentur, quam tanta majestate Princeps plantarum suarum vestigiis insignitam reddet, sed quo illo armorum apparatu, aut quibus militum copiis, tam indomabiles cervices sub jugum coget? «Descendet sicut pluvia in vellus,» inquit Propheta, *Ib.*, 6, totus mansuetus, et blandus advenit, tamque lenis, quam aqua, quæ tacito lapsu in vellus defluit. Quid mirum ergo, si ad eum modum corda quantumvis dura, ac repugnantia suis fascibus subigit? quem enim non abripiat suavitatis? ejus animum non obineat, expugnetque lenitas et comitas? *Ibid.*

S. Chrystostomus non satiatur admirando heroicam Davidis in spelunca Odolla exhibitam virtutem, simulque rationem assignat, cur victoria quam de semetipso reportavit, condonando Sauli (quando eidem pro defensione vitæ propria, licite poterat eripere vitam) gloriosius fuerit, quam illa, quam de Goliath reportavit victoria; quæ enim: «Hoc gloriosius trophæum, quod demum illic et funda, et lapidibus, et acie opus habebat, hic vero cuncta prudentia, rationeque peracta sunt, ac sine armis contigit victoria, atque incrementum trophæum evectum est, itaque rediit non barbari illius caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, sed iram enervatam, neque hæc spolia repositi Jerosolymæ, sed in cælo: nunc haudquaquam in choris obviam veniebant femine, excipientes illum cum laudibus; sed Angelicus populus e sublimi applaudebat; egressus est e spelunca tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt e camino ardenti; nam quemadmodum illos non exussit ignis, ita hic non conflavit iræ incendio. S. CHRYS. hom. ii, de *David et Saul.*

Tullius Cicero pro Marcello ita scribit: Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudinem innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, sed tamen ea vicisti, quæ et naturam, et conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro aut viribus debilitari, frangique possit; verum animum vincere, iracundiam cohibere, etc., quæ qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico.

Aquila generosa est, atque magnanima, unde et a veteribus in symbolum assumpta fuit hominis constantis, et ad contumelias patientis. Eam itaque depinxere, non oculis minitandam, non terribilem rostro, non alas horridam, non unguibus fulminantem, sed sedentem efformantur in quiete, iuxtaque illa cornicem collocantur, quæ identidem pro viribus suis eam mordere, pungerem, et irritare non cessat.

De Propheta Regio sacer textus memorat: «Cepit ille Syriam in valle Salinarum, cæcis decem et octo millibus; eoque triumpho fecit sibi nomen,» ut dicitur *II Reg.* viii, 13. Hoc enim valde dextræ ejus prestantissimum opus, hæc victoriarum illustrissima fuit. *Nyss.* l. II, *Pol.*, c. v.

Habent hæc non nihil difficultatis. Nam

si anima ad quædam alia illius egregia facinora recurramus, inveniemus in eodem capite et ampliores cædes fecisse, et strages hostibus graviores intulisse. Adarezer enim regem Soba percussit, cepitque ex parte ejus mille septingentos equites, et viginti millia peditum, et subnervavit omnes jugales currum. Alibi quoque percussit de Syria viginti duo millia virorum, sic ut ex his omnibus vivus nemo evaderet. Quod cum ita sit, quid est, quod hic non vel æque dicitur sibi fecisse nomen grande, ac in valle Salinarum, ubi non tam multos, quam ibi obruncavit? nam si ex numero devictorum æstimatur magnitudo victoriæ, ampliorem gloriam sibi videtur David parasse ex superioribus victoriis, ubi hostium copias majores fudit, quam posteriore pugna, ubi oppido pauciores cæcidit. Cur ergo hoc ultimo conflictu famam sibi constasse celebriorem, et nomen grande fecisse narratur?

Prætermitto hic aliorum sententias, Rabbi Salomonis opinio vero affiniore videtur, proposito nostro certe commodior est, de qua apud Tostatum in c. viii, l. II Reg. sic habes: Dicit Rabbi Salomon, quod David occidit octodecim millia de Idumæis, et fecit illos sepeliri, et ex hoc acquisivit famam magnam, et hoc propter opus misericordiæ, quod excitabat, scilicet quia sepeliebat hostem. Non scitur propheta regius fecisse aliis, quod his octodecim millibus hostibus fecit, quos trucidavit, ac deinde sepultura illatos magnificis exequiis, et supremis officiis honorificentissime ornavit, ac deinde inquisivit famam magnam, et nomen sibi immortale paravit. Gloriosiorem enim hic victoriam retulit, eo quod tantam devictis hostibus charitatem exhibuit, quantum inimicis deferre potuit, dum pari honore tradi sepultura eorum corpora curavit. Tanta namque pietate prosequi hostes, id victoris ejus splendorem, id triumphis magnificentiam adject singulararem; propterea quod perdifficile est, condonare injurias, remittere offensas, ob naturæ appetitum, ab hac re valde alienum.

Abulensis in l. II Reg. c. xiii, ait: Dicit hoc admirans, viderat enim oram chlamydis suæ in manu David, ex quo cognoscatur, quod ipse fuit in manu David, in quo stapebat, de tam gravi periculo, et de clementia David quomodo non occidit eum, ideo admirans dixit: Numquid hæc est vox tua: quasi dicat, miror, cum hæc sit vox tua, quod

mihî vitam reliqueris. Considerabat Saul quam facile sanctus gener illi vitam eripere potuisset, a veste namque ad cutem, et mortem, proximus erat transitus. Ex alia parte reputabat secum benignitatem Davidis, stupensque tam inauditam generositatem ait: Miror vehementer, quod cum tu sis, qui loqueris, me vivum reliqueris. Non possum mihi persuadere Davidem esse, qui mihi loquitur: Nam cum tu homo sis, et proxime ad manum habeas occasionem sumendam vindictæ de illo, qui te persequitur, incredibile videtur non sumpsisse ultionem; et quamquam vox sit Davidis, magis tamen Dei, quam hominis videntur manus, quæ abstinerunt a cæde illius, quem obruncavit, aut confodere tam leviter potuerunt. Et quamquam et videam, quod video, et audiam, quod audio, dubito tamen, utrum sit David, qui mihi loquitur; ab hominis enim manu quævis actio, et victoria expectari potest; at parcere inimico, quando incommodare, et referre vices, et inferre vindictam possis, videtur tale esse, quod fieri nequeat.

S. Dorotheus insigne hoc in genere factum sic narrat: Asceta quidam erat illius ætate in eodem monasterio, in quo ille tunc debebat, plurimum addictus studio orationis, et aliorum spiritualium exercitiorum. Hunc audivit quodam die gravibus verborum injuriis onerari, et turpibus probris indigne dehonestari. Videns autem admirandam patientiam, qua hæc omnia longanimitè tolerabat, interrogabat eum, quidnam ea opprobria, et vituperia in animo ipsius efficerent? Cui ille simpliciter et candidè respondit: Ego me sic habeo ad has injurias, et sic eas perfero, ut ab hominibus blandi canes, subaudi, perferri solent, si quando vel ignotum allatrant, vel domesticum mollicella lingua ad assentationem lambunt, injuriæ sunt mihi blanditiæ, de decora solatia, opprobria, adulationes, convitia festivi lepores, aut honorifici plausus. His auditis, inquit B. Dorotheus, demisi aures, meque obsignans, et firmans abii, dicens: hic nihil videre admirabilium, nihil audire majus, aut rarius possum. Quando quis rem insolentem, et inauditam videt, sive audit, nescitque, quomodo illam satis admirari debeat, solet dejicere caput, crucisque ceremoniis suam admirationem, ejusque magnitudinem indicare, quando verbis pro dignitate explicare nequit. Cum

ergo S. Dorotheus vidit hominem, qui tam invincibili animo, tanta vultus aequitate ferebat injurias, ut eas blanditiarum loco haberet, et ignominias ut assentationes exciperet, demisit aures, seque obsignans, et firmans abii, attonitus tam stupendæ rei spectaculo. Ut enim naturæ nostræ peccato vitiatæ inclinatio procliviter fertur ad ultionem injuriarum, perque arduum est eas remittere, sic admirabilium mirissimum, et præclare factorum illustrissimum, et memorabilissimum est, serenis oculis, et animo pacato, eas excipere. Nyss. lib. VI.

Abbas Pimenius, ut refert Rufinus, interrogatus aliquando, qualiter hoc Christi dictum: « Majorem hæc dilectionem nemo habet, quam ut amicum suam ponat quis pro amicis suis » executioni mandari possit? ita respondit: « Si quis audit verbum malum a proximo suo, et cum possit similia respondere, pugnat tamen in corde suo portare laborem, et vim facit, ne respondeat malum, ut contristet illum, talis animam suam ponit pro amico suo. »

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Ferdinandus Medicæus gentililita tessera Regem apum cum satellitio pinxit adjungens hoc dilemma: « Majestate tantum. » ENGL. in Dom. Pat.

Græcum verbum ἴσους; per anagramma significat: τὸ ἦ οὐκ; tu es ovis: ad Christi mansuetudinem significandam.

Recte Seneca dixit: Quidquid exprimitur grave est.

Ad Eliam venit Deus, primum in commotione, dein in specie auræ lenis, ut doceret, quomodo lenitas in correctione observari debeat. II Reg. xix, 42.

Archidamidas euidam Charilaum Regem laudanti, quod erga cunctos fuisset mansuetus: qua fronte, inquebat, laudetur aliquis, qui erga sceleratos se mitem præbuit? Perspexit vir egregius mansuetudinem cum justitia conjunctam esse oportere; alioquin Principis in facinorosos lenitas, quid aliud est, quam in bonos crudelitas? PLUTARCH. in Apoph.

Cleomenes cum e civibus quispiam diceret, bonum Regem erga omnes mitem esse oportere, sed hactenus, inquebat, ne sit contemptui, significans mansuetudinem ni-

miam erga improbos esse inutilem civitati. In. in Lacon. apoph.

UTILITAS. — Quidam Rex Orientalium fertur hostiles civitates non alio instrumento in potestatem redigisse, quam oleo certorum vermium ad portas affuso; quanto magis si oleum mansuetudinis portis animorum affundatur, illi facile expugnabuntur. Solit. Hagioph., 320.

Templum Salomonis erat ex cedro et laminis auri purissimi ornatum, solæ portæ, per quas ad Sancta Sanctorum introibatur, olivarum ligno constabant, ad significandum, per dulcedinem mansuetudinis aditum ad cælum potissimum referari. Is., 308.

In Flandria vir quidam homini agresti occurrens cum videret asinum sacco onustum ab eo, quantumcumque fuste verberaret, promoveri non posse, avenæ manipulum ex proximo agro acceptum baculo alligavit, itaque asinum condescendens ad exiguam distantiam ante nares fasciculum prætensum gestabat, quam avenam dum asinus apprehenderet conabatur, gressum alacrius movit. Simili ergo modo homines beneficiis magis quam suppliciis ad officium impelluntur. ENGL. in Dom. Pat.

Cæsar cum audisset Pompeium casum, illacrymatus morti illius, dixit: Tentemus, si possumus, omnium voluntates recuperare, et diuturna victoria uti. Hæc nova fit ratio vincendi, si misericordia nos muniamus. LIPS., t. II, in Polit.

Alexander Severus matri nimiam mansuetudinem objicienti, dicentique; molliorem tibi potestatem imperii fecisti: respondit, sed securiorem atque diuturniorem. Id quod Roboam filius Salomonis damno suo expertus est, utpote cujus subditi severitate illius exacerbati usque adeo gravi in eum odio exarserunt, ut et regem alium sibi quaesierint, et quaestorem illius ad placandum motus cum potestate missum, ne auditum quidem lapidibus obruerint.

S. Anselmus intelligens, quemdam durior egisse cum iis, qui se ejus obedientiæ devoverant, et ob id deteriores evadere: quam bene, inquebat, nutrimentum expenditis, qui de hominibus bestias nutritis. Et mox: Cupitis juventutem optimis ornari moribus? necesse est, ut cum severitate disciplinæ, paternæ lenitatis et mansuetudinis levamen impendatis. BERL. in Fæsto S. Matthiæ them. IV.

DIGNITAS. — Tunc præcipua laus man-

suetudinis est, teste Plinio, cum iræ causa justissima. *PLIN. l. IX, ep. XXI.*

Themistius oratione quinta querens, cur Lycurgus ab Apollinis oraculo Deus vocatus sit? respondit, id ob facilitatem, justitiam, et pietatem factum, sed præcipue ob humanitatem harum omnium principum, cujus unius beneficio reges ad Dei similitudinem accedunt.

Seniores in Apocalypsi cum Christus in specie Agni apparuisset, clamarunt: *Vicit Leo de tribu Juda*; tunc nimirum in eo fortitudinem, et generositatem leonis agnoscens, cum in eo mansuetudinem agni conspexerunt. *ENGELGR. in Dom. Palm.*

Philippus Bonus Dux Burgundiæ, Ordinem Equitum aurei velleris instituit, qui certis diebus debebant portare agnum aureæ catenæ annexum cum inscriptione: *Pretium non vile laborum*. Ita Deus ordinem mansuetorum, qui Christum agnum in corde portant, instituit, ut discant exemplo illius mites esse, et inveniant requiem in corde patriæ, ob abundantiam honorum, per vellus aureum significata. *APOC. c. x.*

Pericles moriturus cum adstantes ipsius merita et victorias condignis laudibus extollerent, mirari se dixit, quod ea solum referat, quorum partem sibi fortuna vindicaret, præterea autem excellentissimum, quod ex omnibus civibus Atheniensibus, quorum dux erat, nullus illius causa vestem pullam sumpsisset. *BEHL. in D. Pal.*

De hac mansuetudine non male cecinit Juvenalis:

.... Separat hæc nos

A grege brutorum: atque adeo venerabile cœli
Sortiri ingenium, divinorumque capaces.

Nec minus apte Seneca:

.... Quisquis est placide petens,

Dominusque vite, servat innocens manus,
Et incrementum mitis imperium regit,
Antimoque parit, longa perueniens diu
Felicis ævi spatia, vel cœlum petit,
Vel læta felix memoris Elysii loca.

JUCUNDITAS. — Pius Antoninus in nummis habebat fulmen molli thoro impositum, ut significaret, nihil æque vires frangere furoris ac iræ, quam mansuetudinem. Hinc Hugo Card. ait: Mansuetudo est in lecto conscientie hominis culcitra, ubi mollior et suaviter anima requiescit, quæ etiam lapides contumeliarum, detractionum, et injuriarum, quorumcumque sibi inflicta-

rum amplexatur leviter, et sine læsione recipit. Sic in Abigail furor Davidis vim amisit. *I. Reg.*

DUBIUM ASCETICUM.

An contra mansuetudinem agatur, si quandoque injuriarum respondeatur.

Ad hoc dubium Josephus Mansi sic respondet: Notandum nihilominus, non semper laudabile injurias dissimulare, siquidem casus dentur, in quibus debita cum correctione seu reprehensione injuriantium petulantia retundenda est. Ita namque Salvator, quando verbis illis injuriose lacessabatur: « Samaritanus es tu, et dæmonium habes, » subito respondit: « Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me! » Causam ne nostis, subjungit Cajetanus? Respondetque non ad contumeliam propriam, qua appellatus est, Samaritanus, sed ad injuriam Dei, qua dictum est: dæmonium habes, respondit. Hæc enim directe tollebat fidem credentium, tollebat veritatem doctrinæ, nocet populo. Injurias itaque proprias tolleremus, sed Deo illatas, aut Reipublicæ perniciosas nequaquam conniveamus. Ad imitationem Jobi, qui cum ad multa amicorum et conjugis impropria semper patiens fuisset, una tamen vice, quando sibi diei audiit: « Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere, » mox cum indignatione respondit: « Quasi una de stultis mulieribus locuta es. » Et nihilominus, incarnata Sapientia protestatur inquiens: « Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. » Job autem uxorem suam stultam nominavit, et tamen Deus illum non reprehendit, quin potius sacer textu immediate subjungit: « In his omnibus non peccavit Job labiis suis. » Quia scilicet injuriatum Dei honorem defendere statuit, quando ab uxore exstimulabatur: siquidem in præsentem, benedic, idem est, quod maledic.

Ut igitur quilibet, qualiter se circa punctum hoc gerere debeat, probe intelligat, sequentem S. Basilii accipiat doctrinam, dicentis: Si quis injuria affectus ab aliquo, tenendæ animi sui lenitatis causa, patientiæque, ea de re cum nemine loquatur, atque hoc modo existimet se reddere iudicium Deo, numquid hic faciat secundum

Deum? respondeo, cum Dominus dixerit modo dimitte, si quid habetis; modo: si peccaverit frater tuus, vade, et corripere; lic lenitatis quidem animi sui fructum in eo ostendere debet, ut preces Deo ex sincero animi affectu pro eo, a quo læsus sit, adhibeat, verbaque illa usurpet: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum; » ne ut iratus fratri suo, reus efficiatur iudicio; admonitione vero leni, et castigatione adversus ipsum injuriæ auctorem uti, qua videlicet illum quoque ab ira liberet, quæ venit in filios contumaciæ. Si vero in hoc negligens fuerit, et tenendæ videlicet patientiæ suæ causa, id dissimulanter tulerit, dupliciter peccatum incurrit, et quod præcepto illi non paret: « castigatione castigabis fratrem tuum, et non sumes propter eum peccatum; » et taciturnitate illa peccantis participes efficitur; quod, quem castigationibus curare potuerat, sicut Dominus præcepit, in malo eum patitur perire. Cui simillimam Doctor Angelicus, quando de hac injuriarum materia diffuse tractat, his verbis tradit doctrinam: quandoque oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo: Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, et de cætero talia non attentet secundum illud Prov. xxvii: « Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. » Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde Gregorius dicit, super Ezech. hom. 6: Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compeescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, et ita in pravis remanentes, bene vivere contemnant.

S. Antonius de hac materia sic discurrit: Aliquando contumelia est sufferenda, et hoc ratione evitandæ temeritatis, juxta illud Prov., xxvi, 4. « Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne ei simili efficiaris: » Tacere quippe, et non respondere contumeliant, quando quis hoc faceret ut sic tacens magis provocaret illum ad iracundiam, peccatum esset. Sed tacere, ne et ipse respondens incurrat contumelias, vel magis illum ad iracundiam ascendat, debitum est, et virtuosum; quod idem punctum diu ante S. August. attigerat, quando ita discurrit: Ille injuriam fecit, et injuriam faciendum

gravi seipsum vulnere percussit. Tu vulnus fratris tui contemnis: tu eum vides perire, vel perisse, et negligis; pejor es tacendo, quam ille convitiando. Quando ergo in nobis aliquis peccat, habemus magnam curam non pro nobis (nam gloriosum est, injuriam oblivisci) sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui. Si itaque benigno responso venenum iræ et rancoris e corde fraterno extergere possimus, nonne id facere omnino ratio suadet, et charitas christiana? siquidem responso mollis frangit iram. *S. ANTON. p. III, tit. VII, c. vi.*

Aliam denique occasionem loquendi S. Joannes Climacus assignat dicens: Cum nos ipsi duntaxat contumeliosus tractamur, omnino tacendum est, tunc enim lucri comparandi est tempus: ubi vero contumelias in alterius quoque damnum redundat, tum mutæ charitatis et pacis indissolubilis vinculum exigit, ut pro altero respondeamus. *S. CLIMAC. gr. iv.*

AXIOMATA.

Arcus nimium intensus frangitur.

Nullum violentum perpetuum, moderata durant.

Immatura medicina, est matura ruina.

AUCTORES.

Hieremias Drexelius, in *Rosis selectis*, p. I, cap. II.

Paulus Barry, in *Solitudine Hagiophile*, die 6, diss. I.

Joannes Busæus, in *Viridario*. V. *Mansuetudo*.

Bernardinus Rosignolius, lib. IV, *De Disciplina Christ. perfect.*, c. xxxvi.

Jacobus Alvarez de Paz, tom. II, lib. III, p. IV, c. ix, § viii.

Franciscus Arrias, tom. II, de *Imit. Chr.* tract. V.

Henricus Engelgrave, p. I, *Lucis Ev. in Dom. Palmarum*.

Matth. Fast. in *Festo S. Matthiæ*, c. v. fol.

Laurentius Beirlinck, in *festo S. Matthiæ*, them. iv, et in *festo Omnium Sanctorum* them. III.

Josephus Mansi, *Bibl. mor.*, tr. XXXVI.